1785 (Poniatowski M.) Gratulatio...

CELSISSIMO PRINCIPI MICHAELI PONIATOVIO,

CUM ARCHI-EPISCOPUS GNESNENSIS, REGNI POLONIAE, ET MAGNI DUCATUS LITHVANIAE

PRIMAS,

ET

PRIMUS PRINCEPS RENUNTIATUS ESSET,

GRATULATIO

Nomine Provinciae Polonae *Scholarum Piarum.*

Anno 1785

CELSISSIME PRINCEPS.

SI, nondum maximis exemplis declaratum fuisset Summorum in Republica Virorum felicitatem ad publica gaudia pertinere, haec profectò TUA PRINCEPS CELSISSIME, prima in Regno nostro Dignitas luculentissime id testaretur. Tanta enim TUUM hunc in Gnesnensem Cathedram ascensum omnium ordinum, omniumque populorum est consecuta laetitia, ut videri facile possit, in hac TUA ad supremam in Regno Sedem Evectione, summam votorum Gentis nostrae collocatam fuisse. Tantis omnes ad primum auspicatissimi TUI Ascensus nuntium incessere laetitiis, tam effusis optatissimam hanc famam excepere plausibus, ut hic omnium sensus appareret, ad Patriae nimirum post tot non ita pridem damna, cladesque respirantis, atque reflorescentis, plurima jam ope Serenissimi

A Sta-

STANISLAI AUGUSTI Regis Nostri illustria edita argumenta, ad adstruendam beatioris jam sub tanto REGE saeculi fidem, hoc tandem desideratum fuisse, ut TU potissimum, & Ecclesiae, & Senatûs, & Regni in Polon: PRINCEPS declararere.

Nec mirum fuit, quamvis esset omnibus bonis gratissimum, quod proximis Regni Comitiis in agendis optimo Regi pro collato hoc TIBI honore gratiis, tam incredibilis fuerit omnium consensus Ordinum, quodque mirifica laudum conspiratione omnes hoc Sapientissimi PRINCIPIS judicium celebraverint. Intelligebant nempe, quantum ad sua immortalia in hoc Regnum promerita Optimus REX felici TUA ista in PRIMATEM Regni cooptatione cumulum addidisset: nec verebantur, cum amplissimum hoc illius in Patriam beneficium, ejusdem Patriae nomine exquisitissima gratiarum actione prosequerentur, ne FRATRIS potius favorem, quam justissimi REGIS in TE deligendo aequitatem viderentur extollere. Nimirum Tua incomparabili virtute effectum est, ut cum PRIMAS Regni renuntiatus esses, publicae hoc felicitati datum esse, omnes certissimè judicarent: neminique prorsus fuerit dubium, quin Sapientissimus REX, cum TE primae in Regno Sedi tantis & naturae, & ingenii, & Sanctitatis decoribus cumulatum admoveret, non magis Se TUUM in dignitatis TUAE suffragatione FRATREM, quam Regni nostri Patriaeq; PARENTEM declaraverit. Et hic quidem de TE PRINCEPS CELSISSIME, deq; TUA in Regni PRIMATEM solenni Jnauguratione sensus omnium, hoc Poloniæ conspirantis, hoc gen-

gentium genti Polonae foederatarum, unum atque commune judicium, quàm verum sit, quamque in eo nihil fortunae TUAE, sed virtuti, nihil affectibus nostris, sed aequitati, nihil denique privatis rationibus, sed publicis tribuatur: quàm praeterea Religioni, Regni felicitati, saeculi nostri gloriae, TUO honore consultum fuerit; utinam tanta ingenii vi polleamus, ut id pro rei dignitate enarrare saltem, si non exornare dicendo nobis liceat. Id certè conantibus dabis veniam PRINCEPS CELSISSIME, cum praesertim TUA par summo honori bonitas in eam spem nos erigat, fore, ut pietatem erga TE nostram, non nostrarum, in dicendo virium tenuitate metiare; sed addictissima nostra TIBI, TUAEQUE Dignitatis studiosissima voluntate.

Soleo saepe ante oculos ponere summos quosvis exterarum Gentium Magistratus, sublimia a potentissimis Regibus conferri solita muniorum subsellia, & Regum majestati proxima, quibusque fortunam populorum commissam diceres, Ministeria, nihil tamen nec ad gloriam illustrius, nec ad merendum de genere humano uberius, nec ad prudentiae in gubernando comparandam famam accommodatiùs complecti; quàm prima in Regno nostro Archi-Praesulis Gnesnensis Sedes complectitur. Nam, ut omittam, non eam esse hujus Dignitatis rationem, ac earum, quae ab externis plerumque Principibus conferuntur, quarumque ornamenta, & jura pro eorundem ipsorum Principum vel augentur, vel minuuntur arbitrio: ut non commemorem Primatum Nostrorum Sedem

non temeraria aliqua, sed consultissima, ea que vetustissima Majorum nostrorum lege, Oecumenicorum Conciliorum, Summorum Pontificum gravissimis Sanctionibus, ad eam, in qua nunc est, amplitudinem evectam esse: ut praeteream innumerabilia Primatum in Regno nostro privilegia, quibus antiquissimi, iidemque pace & bello celeberrimi Reges elaborasse videntur, ut nihil in Regno Primate Regni augustius conspiceretur; illud certe silentio praeterire non possum, Gnesnensem Archi-Praesulem uno minorem Rege esse, quemque Regem Numen Supremum Poloniae destinaverit, suo ante omnes ore declarare, atque ita suo quasi oraculo declaratum Diademate insignire: Illum esse, qui tunc Cives Principi, Principem Civibus, hos fidei & obsequii, Jllum paterni erga Rempublicam amoris Sacramento consociet; Jllum esse, qui ita cum Rege, Majestatem quodammodo, & Reipublicae curas dividat; ut id in Comitiis, in consessibus publicis, in eodem Rege adeundo, praecipuis & singularibus, quaeque Uni ipsi tribuuntur, honoris testimoniis sit conspicuum: qui denique uti pro Rege primus Princeps Regnum, ita pro Summo Christianae Reipublicae Moderatore Regni Ecclesiam sustentet, & gubernet. Quod vero omnium ornamentorum caput est, quod nullis in Jmperiis, ulla minor Regibus potestas sperare audeat, quum Rempublicam morte Regis semper Civibus luctuosa consternari contingit, unum esse Gnesnensem Archi-Praesulem, qui illius orbatae tutelam capessat, Regnique inter varias factionum, turbarum-

rum-

rumque procellas fluctuantis, teneat Gubernacula.

Quod si tam sublime Archi-Praesulum Gnesnensium dignitatis culmen sit, si nullus est ultra honos, quem effusa Regum liberalitas conferre possit merentibus, nec amplior ullus Magistratus, in quo quisquam sublimius, salubriusque de Patria mereri possit; jam pronum est intelligere, qualem eum esse oporteat, qui tanto honori non impar sit & ornando, & sustinendo: quantam necesse sit esse sapientiam, qua gravissimae Regum nostrorum Reipublicae curae fulciantur: quantam Religionem, cui Polonae Ecclesiae, rerumque divinarum Sanctitas innitatur: quantam dexteritatem in agendo, in providendo prudentiam, in consulendo solertiam, in conficiendo felicitatem, in qua afflictis aliquando Regni temporibus spes omnis salutis collocari tuto possit: quantam denique apud suos, apud exteros Principes auctoritatem, in qua habeant divisi Cives, quo possint in unitatem redire: inveniant exteri, quo eorum in Rempublicam machinatio, debilitari, frangique possit.

His vero tam illustribus Virum praeditum dotibus, nemo poterat cogitatione efformare, quin statim TU PRINCEPS CELSISSIME illi occurreres. TUA divina mens ad summa quaeque progenita pignus erat certissimum, ut quamvis a Primate Regni summa quaeque expectentur; a TE omnia saeculo nostro pollicerentur omnes, nec dubitarent, quin Tu expectationem omnium non aequaturus modo, sed etiam superaturus esses. Itaque prius TE excelso isti Fastigio, publica omnium

vota

vota destinaverunt, quam illud conscendisses: gloriaeque TUAE haec summa fuit, quod ad primam in Regno Cathedram, cui illustrandae unus virtutibus TUIS par fuisti, a Principe nostro publicis desideriis obtemperante, sed ab eo poene jam ultimo fuisses nominatus.

TU duntaxat unus fuisti, qui a tot dignitatis TUAE Suffragatoribus dissentires. Novimus, quam longa fuerit, & eidem PRINCIPI, & gravissimo ejus Consilio cum modestia TUA pugna: cum Jlle contenderet, ne summam de Patria merendi opportunitatem dedignareris; TU verò communem TIBI cum Jllustribus, Sanctissimisque Viris sentiendi rationem opponeres, ut summos quosvis Honores mereri, quam capessere, illis gerendis pares esse, quam eos ambire, malint. Cedendum tamen fuerat, non jam Regis optimi, sed flagrantissimis Civium desideriis: cedendum Patriae invitanti, quae ita TIBI, quidquid summum in honore habebat, obtulit; ut videreris ejus felicitati officere, si recusasses. An enim poteramus aliter de TUA in Regni Primatem electione cogitare? cum identidem, quanta hactenus jam pro Patriae nostrae splendore Senator, jam pro Ecclesiae amplificandis ornamentis Praesul gesseris, cogitaremus? cum cogitaremus, quam nos prima illa a Regio TUO genere, ab optima educatione petita olim auguria, non modo non fefellissent, sed etiam rebus TUIS gestis fuissent superata.

Nimirum talis esse debebas, si, prout fecisti, immortalis olim Viri Parentis Tui Castellani

lani Cracoviensis sustinendam TIBI esse, tuendamque haereditate quodammodo acceptam gloriam, judicares. Qui quidem Vir, cum nominis sui, cum suae Fortitudinis maximis dignae Heroibus, cum rerum gestarum fama Europam omnem implevisset; tantum attulit decoris claritudini Tui Generis, quantum ad summa quaeque Orbis Jmperia capessenda, si a Nobilitate peterentur, desiderari posset. Talis tantusque esse debebas, editus Matre CZARTORYSCIA, tot naturae animique excelsi ornata dotibus, ut in ea gens Polona haberet, quod desumptis ex omni antiquitate celebratissimis virtute, & sapientia Foeminis, merito posset opponere, nec vinceretur. Regio, & quod augustius propemodum est, Jagellonum orta Genere, ad hoc divinitus Regno huic concessa esse dici poterat; ut ingentia illa Jagellonicae Domus in hanc gentem promerita, admirandis virtutis suae exemplis revocaret, & eo tandem cumulavisse videretur, quod caeteros inter dignos tanto genere liberos edito SERENISSIMO FRATRE TUO, TE tanquam felicitatis nostrae complementum genuerit. Haec talis Parens, cum quasi divinaret, quantum in TE Patriae Virum educatura esset, in id & domestica suae virtutis exempla, & reconditioris, quam a foemina Principe postulandum erat, sapientiae suae instituta contulit, ut nihil in moribus TUIS esset, quod non Regio Generi, votisque tantae Matris responderet, utque ad excelsam indolem TUAM & institutionis maternae, & paternorum exemplorum adminiculo accedente, par summis rebus gerendis, & Honoribus administrandis esses.

Ad

Ad id vero quantum praeterea TIBI profuit, exteras perlustrasse gentes, atque Romam, illud Christiani orbis caput adiisse! Quis autem non cum maxima TUA laude commemoret, quantopere TUA ibi agendi, vivendique ratione Nomen Polonum illustraveris? quam in illa prodigiorum omnis generis plena urbe, cum multa TIBI admiranda occurrerent, non minus TU illi jam tum eximia morum indole, ingeniique praestantia admirationi fueris? Quidquid profecto ibi animadverti à Viro, in usus Patriae vitam consecraturo, vel à Sapientissimo olim futuro Antistite sciri oportuit; id omne & animadvertere, & condiscere, maximae TIBI voluptati fuit. Quo factum est, ut tanto majoribus instructus praesidiis, redux longe splendidius Patriae TUAE lumen affulseris. Rediisti certe auctis etiam in immensum illis praestantissimae mentis bonis, quae à Sanctissima educatione hauseras. Ab illa namque, ab illa potissimùm fluxere in animum TUUM praeclari illi de Deo, de Patria, de justo honestoque, semper utilitati praeferendo, sensus: ad quos TU cum ab ineuente aetate vitam exigas, eorum ductu publice TE privatimque geras, eam vivendo attingis laudem; ut & preesenti saeculo ornamento sis, & nihil ab incorrupto posteritatis judicio reformides. Inde profluxere illae praeclarissimae Virtutes, illa in Deum, qua nihil in vita habes antiquius, Pietas, illa Sapientia, illa in Patriam Caritas, illa humanissima in omnes Bonitas, illae inquam omnes animi TUI praecelsae dotes, quae quanto sunt rariora ætatis hujus decora, tanto

plus

plus TIBI à nobis studii & venerationis vendicant.

Nam quid TIBI est religione, quid Divini numinis cultu ab ineunte aetate sanctius, aut magis expetendum? cum omnia ad eundem cultum pertinentia maximo TIBI in pretio jam inde à teneris annis semper fuerint? cum abjecta amplissima ad summa quaeque in Regno perveniendi spe, quam clarissimi Natales, potentissima cognatio certiorem etiam faciebat, nomen Ecclesiastico Ordini dedisses, Divinoque TE cultui arctius eum in modum addixisses? Id certe minus admirabile fuisset, si eandem spem, cui nuntium remiseras, Tecum ad Ecclesiam transtulisses; Sed nimirum quanto id frequentius dolemus in aliis, tanto id a TE longe alienum fuisse, magis sumus admirati. Non enim verbis duntaxat, sed re ipsa animum omni honore altiorem demonstrasti, cum, ut jam innui, nec satis unquam praedicare potero, ad Ecclesiae dignitates, ad hunc ipsum, quem hactenus gessisti Episcopatum Plocensem urgentissimis cohortationibus cogendus fueris, nec aliter cogi posses, nisi constaret jam inter omnes, & ne TIBI quoque parcissimo TUARUM laudum aestimatori dubitare jam liceret, ut illum non respueres, minus longe TUA interfuisse, quam Patriæ, quam Ecclesiae. Atque in eo hactenus administrando, quam longo intervallo etiam Sanctiorum Antistitum conatum, & expectationem post TE reliquisti! Auctus ubique Templorum nitor; mores in Clero ad Sanctissimas Ecclesiæ leges, ad pri-

scorum imitationem temporum efformati; Divini Verbi longè utilius populis praedicandi gravitas, & exacta ad dignitatem tanti Ministerii soliditas, atque puritas restituta, Animi mortalium per Dioecesim Paterno TUO instituto, atque monitis ad inopes miserosque sublevandos, ubique erecti, & excitati; Adorandi Numinis per Ecclesias praescripta sibi serie succedentes invecta pietas, eximius ubique in Cultu Divino peragendo ordo, & maxima TUIS edictis eidem cultui reddita veneratio; Diligentissimus in constituendis Ecclesiarum Rectoribus delectus, Rectoresque ipsi tales ubique, quales ad summam in deligendo curam commendandam esse poterant. Hi sunt felices TUORUM PRINCEPS CELSISSIME conatuum fructus, hæc Pastoralis, & Paternae vigilantiae Dioecesi Plocensi impressa vestigia, quae durabunt, quamdiu Religioni, pietatique suus apud homines extabit honos.

Quod si haec tanta solicitudo unius Episcopatus Plocensis curis terminaretur, si illam tam operosam, tamque efficacem extitisse TUA unica laus fuisset, satis id esset ad commendationem TUI Nominis immortalem. At vero cum Antistes Plocensis ea egeris, ad quae efficienda vix tota, atque indivisa solertis hominis sufficeret diligentia, quis non miretur TE praeterea molem tot gravissimorum negotiorum sustinuisse, atque etiamnum ita sustinere, ut non curas dividere laboriosissimas inter singula, sed TE totum unicuique tradidisse videare? utque dubium propemodum reliqueris, gloriosiusne fuerit TE ingenti

animo,

animo, quin tot tanti momenti negotia susciperes, non fuisse cunctatum, an cum summa laude gerere, postquam susceperis. TU tamen ad solicitudinem tam multiplicem, tot difficultatibus redundantem, tanquam parum esset invigilare Plocensi Ecclesiae, insudare Senatoriis functionibus, publicam educationem TUIS portare humeris, tutelam insuper, & gubernacula Cracoviensis Ecclesiae ad gravissima alia TUA munia adjungi TIBI non es dedignatus. Et cum in omnibus aliis vel Ecclesiae, vel Patriae obsequiis hanc justissimam retuleris laudem, ut TE in illis immemorem propemodum TUI, publici duntaxat Ecclesiae, Patriaeque boni memorem judicaremus, in hac afflictissimae Cracoviensium Ecclesiae suscepta gubernatione nihil aliud egisti, quam ut tam sublime de TE confirmares judicium. Evenit deinde: quod nemo eventurum esse dubitare recte poterat, ut excelsa Magni TUI Animi cogitandi, agendique ratione penitius perspecta, hanc ab ipsa etiam invidia confessionem exprimeres, TE hoc tali facto aliud nihil, praeterquam eidem Ecclesiae tranquillitatem, & decus, TIBI vero ampliorem de Religione merendi facultatem, & ingentem laboris accessionem quaesivisse.

Laborem innui, cujus in TE assiduitatem constantiamque, qui observaverit, jam desinet admirari, his omnibus, quae divisa vel diligentissimorum gravarent humeros, TE unum tam laudabiliter, cumulateque sufficere. Nimirum haec est illa in exequendis maximi momenti negoti-

orum curis assiduitas, qua fit, ut raro aliquid TUIS commodis, TUAE remissioni, TUAEQUE quieti temporis largiaris, raro TIBI ipsi vivas, sed Patriae, sed Ecclesiae, TUUM omne tempus impertiare. Quanquam, cum Ecclesiae, cum Reipublicae eum in modum vitam impendas, eo certius TIBI, TUAEQUE immortali vivis gloriae. Evenit quidem, ut multi alii, sui muneris initio, magna quaeque ingenti cum labore moliantur, sed qui in iis rebus, quas laudatissime inchoarunt, non tandem diuturni laboris frangantur taedio, sunt paucissimi. Quo admirabilior TUA PRINCEPS CELSISSIME invicta in summis rebus pertractandis constantia, tamque assiduus labor, ut labore refici, ac reparari quodammodo credi possis.

Sed quantumvis id in Viro PRINCIPE majus videatur, quam ut satis enarrari possit, in TE tamen ut minime sit incredibile, TUA in Deum pietate, in Patriam caritate, TUA incomparabili sapientia efficitur. Nam pietate in Deum, & caritate in Patriam, omnes TUI leniuntur labores, Sapientia vero duce id consequeris, ut circa id duntaxat infatigabiles illae TUAE occupationes versentur, quod Religioni augendae maxime idoneum, quod Reipublicae longe utilissimum esse verissime possis praedicare. Etenim cum Sapientiam TUAM nomino, illam intelligo, quae Viro PRINCIPE, quae integerrimo Archi - Praesule, quae gravissimo Poloni Senatus DUCE, id est quæ TE ipso sit dignissima. Hujus clarissima instructus luce, nihil est, quod

qui-

quidem ad Religionem summo in honore habendam, tuendamque pertineat, quod ignores, nihil, quod ad Patriae felicitatem stabiliendam faciat, quod non perspectissimum habeas. Hinc TIBI est illa ingenii praestantis excelsitas, illa mentis amplitudo, qua efficitur, nihil ut poene incognitum TIBI sit, ut de omnibus, non secus ac peritissimi quique, judices. Quibus plurimum rebus intersit magna florere imperia; quibus florentem eorum statum infringi, ac ad interitum vergere necesse sit; quae administrandarum rerum publicarum, reddendae justitiae, legum ferendarum, Magistratuum creandorum optimae rationes, quae vicinarum Nationum indoles, earum origo, incrementum, quae causae partae potentiae, & abstrusa tuendae dominationis arcana; quae, quod nostram Rempublicam attinet, in earum amicitia, foederibusque ineundis utilitas, salubriorque genti nostrae delectus, quae jura pacis ac belli, quae publicorum censuum & indicendorum, & percipiendorum administrandorumque viae; quae forma Judiciorum aequitati utilitatique propior, quis commercii modus, quid consilii in subitis, difficillimisque rebus capiendum, quid iisdem consiliis, quid tempori, quid fortunae tribuendum, nemini singula ista notiora sunt, quam TIBI omnia, nec possunt horum omnium etiam peritissimi sine summa admiratione de iis Te disserentem audire.

An vero minus est illustre & Sapientiae TUAE, & summi judicii argumentum, quod quemadmodum bonis artibus florescere regna, bona Juventutis

tutis

tutis educatione stare potissimum Respublicas in comperto habes, non alienum a TUIS amplissimis ornamentis esse duxeris, ut & rei literariae in Polonia maximo esses praesidio, & institutionem publicam Juventutis in sinu quodammodo TUO ferres, dignamque TUA praecipua vigilantia judicares? Quidni autem eum in modum judicares? cum inter caetera summorum Virorum exempla SERENISSIMO REGI Nostro Fratri TUO hanc eandem solicitudinem maxime cordi esse, dignamque, quam ille suis aliis immortalibus fortunandi Regni conatibus adjungeret, animadverteres? Eum ergo imitari, Paterni ejus erga Rempublicam in hoc animi consortem esse, quantopere existimationi, & verae TUAE gloriae congruebat? Extollant igitur alii aliorum singularem in rebus pro Patria gestis claritudinem, praedicent, si ita placet, funestas generi humano victorias & triumphos, enumerent deletas multa cum hominum strage urbes, prolatos longe imperiorum fines, quanto TU PRINCEPS CELSISSIME apud optime sentientes in ornanda Patria sapientior, quod solicitudinis TUAE, TUIQUE Muneris esse volueris, ut quam optimos, atque a rebus utilissimis quam instructissimos Respublica Cives habeat: TUUM igitur est, quod iis artibus, iisque disciplinis quae ad florentem Patriae statum desiderari possunt, Juvenes perpoliantur. TUA vigilantia illi, quid PRINCIPI, quid Patriae, quid Parentibus, quid amicis, quid domesticis debeant, imbuuntur, TUO munere boni Cives, integri Judices, graves Consiliarii,

clari

clari futuri Senatores, strenui Milites, Patriae adolescunt, & cum plerique alii praesenti regnorum bono prospiciant, TU PRINCEPS ejus Consilii, quod Soboli Polonae instituendae invigilat, nec honore magis, quam laboris assiduitate PRINCEPS, futuræ Regni hujus felicitati consulis, idque consequeris, ut non minus TIBI commodorum praesens aetas referat, quam sera posteritas relatura sit in acceptis.

Atque in adjumentis hujus istius publicae educationis, ut quam uberrimos fructus afferat, adhibendis, quanta solertia, quanta TUA effulget Sapientia? Certe Academia Cracoviensis, dum suus literis constabit honos, perenne erit TUAE istius laudis monumentum. An enim poterat TUAE Divinae menti nihil non sublime in rebus gerendis cogitanti non occurrere, ut clarissimum illud quondam Poloniae lumen, fertilissimumque tot ingeniorum Seminarium pristino suo decori restitueres, atque in hoc uno literarum domicilio omnibus bonis artibus, humanioribusque disciplinis spiritum quodammodo, ac vitam redonares? Quid autem est, quod in ejusdem Academiae splendore restaurando praetermiseris? qui sumptus, quibus ad illius veterem restituendam gloriam peperceris? Possem commemorare, quod praestantissima ingenia ad literariae rei in eadem Academia incrementum liberalitate TUA ab exteris evocaveris, enumerarem plurimas artes, ac Scientias, quas generi humano utilissimas, infausta temporum vicissitudo apud nostrates penitus obliteravit, TUA munifi-

nifi-

nificentia ita illuc revocatas esse, ut jam etiam ad exterorum ibi invidiam reflorescant, ubi vix nomen earum noscebatur; Extollerem, detrimentis, quae non ita pridem in illo bonorum Cracoviensis Ecclesiae naufragio Academia quoque fecerat TE liberalissime ivisse obviam; Praedicarem denique TE in haec singula ingentem TUORUM redituum partem, totumque illum, qui TIBI ex vicaria Episcopatus Cracoviensis administratione debebatur, munificentissime contulisse. Sed nimirum versor in re jam apud omnes celebratissima, atque ampliore, quam ut non modo mea, sed cujusquam eloquentissimi oratione exornari possit. Satis est, si hoc saltim innuam TE tantis in Academiam Cracoviensem TUIS promeritis consecutum esse, ut TE illa, non modo restauratorem, sed Parentem, sed Conditorem suum, non secus, ac illum Regum nostrorum optimum, cum quo maternum TIBI genus commune est, suspiciat, & suis aeternet annalibus.

Nec vero solius Academiae Cracoviensis finibus TUA liberalitas, TUAQUE bonitas continetur. Quisquamne est, qui eruditione aliqua, literisque inclaruerit, qui non hoc potissimum Nomine TIBI acceptior, TUISQUE beneficiis dignior esse videatur? Et hoc quidem ad cumulum summae TUAE gloriae pertinebat, ut optimo REGI Nostro, in literis, literatisque Viris fovendis primo & maximo adjumento esses. Nam ex omni antiquitate nulli erant, quod sciam, Principes, qui impensius literatis, literariaeque rei faverent, nisi iidem essent & bello, & pace

summi,

summi, dignique, qui earundem literarum, quas fovebant, monumentis aeternae posterorum memoriae consecrarentur. Poteris TU PRINCEPS CELSISSIME, hoc idem jure optimo TIBI polliceri. Quae enimvero res posterorum praedicatione dignior, quam floruisse PRINCIPEM, cui non alius divitiarum usus carior fuerit, quam ut bonitatis, & liberalitatis essent instrumentum? quique non aliam in summa fortuna felicitatem senserit, nisi quod eandem fortunam in exornanda Patria, in literis protegendis, in miseris sublevandis experiretur? Quale vero id ipsum est, quod sciamus eas TE divitias in tam praeclaros liberalitatis usus convertere, quas superfluis sumptibus, vanitati, & luxui, quem TIBI penitus interdixisti, soles subtrahere? Ea quippe TE esse in omni vita, cultuque moderatione conspicimus, tam ab omni fastu, atque ostentatione, & pompa insolenti alienum, ut singularis TUA hæc modestia quanto cum ampliore & fortuna TUA, & dignitate, & virtute conjuncta est, tanto sit aequis rerum aestimatoribus admirabilior. Non magnum quippe existimas exterioribus istis fluxis, & perituris decoribus admirationi esse vana mirantibus, sed veris humani animi bonis, in quae nihil fortunae, temporibusque liceat, verae TUAE magnitudinis, & gloriae es securus.

Bonae ergo illae artes, quae TUA munificentia vigent, non TE ab externis ullis ornamentis, non a fortunae, quantumvis magnis muneribus, sed à longe praestantioribus animi TUI divitiis commendabunt. TE Religione, TE sapi-

entia, TE fortitudine animi, TE flagranti in Patriam Caritate, aequasse in hoc laudis genere vel praestantissimos, celebrabunt. Nec metuendum erit, ne TUIS maximis in easdem promeritis suspectior posteritati sit earum praedicatio, cum TU magnitudine, ac simul veritate TUARUM laudum jam fingendi facultatem superaveris. Ut vero & praesens, & ventura aetas TE maximum saeculi nostri lumen suspiciat, ita nihil ad id fortuna opus habes, ut ne summi quidem honores quidquam TIBI aliud, quam eximiae Tuae virtutis proferendae ampliorem campum suppeditent.

Quamobrem cum tam incredibili Sapientia, tanta animi magnitudine omnibus honoribus altiore, tam singulari in Patriam Caritate, tanto studio, & tot praeclaris a natura, & ab ingenio ad eam illustrandam, defendendamque adjumentis, tanta virtute, aequitate, vigilantia, in labore constantia, in omni fortuna aequanimitate instructus, primum hoc à REGE conscendas in Regno nostro fastigium; capis TU equidem tantum ejusdem istius virtutis praemium, quantum vix cujusquam mens, aut cogitatio capere possit; Inde tamen plus propemodum in Ecclesiam, in Rempublicam, in Senatum, in Equestrem Ordinem, in Regni Provincias, praesidii, firmamenti, felicitatis, & gloriae, quam ornamenti in TE redundavit. Quid enim est in quo magis de summa Regni Nostri felicitate, tranquillitate, ac integritate agatur, quam ut Divinitus Jlli integerrimus, Sanctissimus, Patriae amantissimus, acceptissimus Regibus, studiosissimus Religio-

nis,

nis, id est TUI simillimus PRIMAS contingat? An vero desunt exempla, quot, quantisque detrimentis Regno nostro constiterit, aliquam ex istis laudibus, in quibusdam PRIMATUM nostrorum desideratam fuisse, cum vel privatarum suarum rationum amantiores essent, quam Civium, vel suis privatis odiis, aut studiis, plus quam Caritati Patriae indulgerent, vel in circumspectandis rerum, temporumque oportunitatibus necessaria destituti essent providentia? At enim vero TE PRIMATE, TE Primo Regni Nostri PRINCIPE, omnium horum discriminum metu allevamur. TU unus es, cui omnium tanto muneri necessariarum laudum concentus tam admirabilis insit, ut nova haec TUA dignitas, quam Divis, hominibusque plaudentibus auspicaris, signum ad optime de Patria nostra sperandum sublatum omnibus esse videatur, utque omnes crebris hoc usurpent sermonibus; hac dignitate TIBI uni solicitudinem graviorem, nostrae vero Reipublicae, optimo Regi nostro securitatem majorem accessisse.

Jtaque, ut quondam referente Tullio a praestanti quopiam Romano Senatore, magnae superis gratiae habebantur, quod in Republica Romana Africanus ille Scipio natus esset, propterea, quod non esset dubium, ibi summum orbis terrarum Jmperium futurum fuisse, ubi ille nasceretur, & viveret, ita a nobis immortales supremo Numini gratiae sunt habendae, quod TE PRINCEPS CELSISSIME in nostra Republica primum nasci, deinde ad supremum istud Regni culmen sublevare voluerit. Nam si est in fatis, si est ab hoc ipso Divino Numine constitutum, ut haec eadem Res-

publica post sua detrimenta, & c lades, non modo resurgat fortunatior, verum etiam ad summa quaeque perveniat, foederibus potentissimorum Regum ambiatur, terrori sit hostibus suis, mereris PRINCEPS CELSISSIME, ut id TE consiliorum Serenissimi REGIS Nostri primario adjutore, TE Nostro PRIMATE eventurum esse Patriae Nostrae polliceamur.

Haec spes, hi sunt PRINCEPS CELSISSIME de sacra hac TUA dignitate, uti omnium, ita praecipue *Scholarum Piarum* sensus, quas TIBI TUOQUE honori devotissimas, si prout fecisti, TUO patrocinio tueri, TUA benevolentia protegere, ac fulcire pergas, adjunges id ad maxima TUAE bonitatis, & clementiae argumenta.

Nihil jam superest, nisi ut, qua mox pietate supremo Numini, quod TE maximum Coelorum munus Patriae nostrae concesserit, agendas esse gratias censuimus; eadem animortm nostrorum contentione ab eodem bonorum omnium largitore imploremus, ut muneris sui parem aequitati votorum nostrorum diuturnitatem tribuat, ut Ecclesiae suae, ut Patriae Nostrae in TUA incolumitate favere velit. Diu Regnum hoc fortunes, illi praesidio, & ornamento sis, diu uberrimo fructu laborum TUORUM in implendis amplissimae dignitatis TUAE muneribus perfruare, gere faustus felixque PRIMATEM, fulgeas diu incolumis Primus PRINCEPS, represenтes summum Ecclesiae Christianae Moderatorem. Jllius Legatus. Haec vota sunt nostra, tanto quidem ardentiora, quanto sumus certiores nos Ecclesiae, nos Patriae Nostrae, nos publicae felicitati precari, quae precamur TIBI.